



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 46. Parisiensis Curiaë Patres Tertii Ordinis Sententiæ adstipulantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

liatus, (qua ratione autem Regni Ordines in comitiis Regem suum spoliare potuerunt Regno, quod a solo Deo se accepisse profitetur?) Philippum vero & Ludovicum XII. contra Bonifacium & Julium Pontifices reclamasse ajebant.

Sæc. XVII.
Sæc. 1614.

His igitur Regis auctoritatem vindicabat tertius Ordo. Ceterum ipse Jacobus I. Angliæ Rex Perronii Cardinalis orationem confutare nitebatur, transmissa de *Jure Regis* in Gallias lucubratione, quæ in operibus Regiis præfati Jacobi Regis fol. 193. reperitur.

§. XLVI.

Parisiensis Curia Patres Tertii Ordinis sententiæ adstipulantes.

Quamvis Parisiensis Parlamenti seu Curia Senatores ad hæc comitia admissi non fuerint, minime tamen sat propitiam novo Regi adulandi occasionem fore negligendam censebant; quocirca percepta Ecclesiasticos inter & Plebeios contentione circa Pontificis auctoritatem, die decima tertia Decembris a Regio Senatu petebant, ut hæc dogmata omni tempore, ut ajebant, in Gallis recepta, & Regno congenita protuenda Regis vita, pace & tranquillitate publica confirmare, necnon illas innovare poenas velit, quæ in pluribus

Calmet hist. Univ. l. 151. Argentre coll. Jud. tom. 2. p. 95. Commen. Cler. Gall. p. 570.

Sæc. XVII. edictis jamjam quinquaginta tribus ab
 A. C. 1614. hinc annis contra ejusmodi transgres-
 sores decretæ fuerunt. Annuat Curia,
 quæ paulopost hanc in rem sequens pro-
 mulgari jussit edictum: *Rogante Servi-
 no Procuratore Regio Senatus censuit, pro
 lege politica, Regniq̄ue fundamentali habend-
 um posthac, quod Rex Gallicæ unius Dei
 Beneficio regnet, & quod neminem in tem-
 poralibus superiorem se agnoscat, necnon
 quod sacrum sit ipsius caput, adeo, ut ne-
 mini liceat, quocunque obtentu, quicquam
 adversus eum moliri.* Verum hoc Sena-
 tus edictum graviter tulit Clerus, que-
 stus, quod Parlamentum, cujus tamen
 jurisdictio, comitiis Gallicæ convocatis,
 cessat, omneque jus Regium in ipsa
 translatum censetur, ultro tamen nec
 interpellatum, partes suas interponere
 præsumpsisset: præcipue vero cum No-
 biles in eandem quoque sententiam cum
 Clero iverint, proin non essent pro lege
 assumendæ propositiones, quas popu-
 laris Ordo proposuit, sed æquius vi-
 deretur, quod duorum Ordinum suffra-
 gia uni soli prævalerent, de cetero au-
 tem id juris neutiquam sit Parlamento,
 ut comitorum generalium decretis in-
 tercedat, cum summum jus, pro Re-
 publica decernere, *sub Regis placito* so-
 lis Ordinibus competat. Suffragabatur
 pariter Clero Sedis Apostolicæ Nun-
 tius,

tius, qui Pontificis auctoritatem, quam Sæc. XVII.
 hac ratione læsam credebat, pro viri- A. C. 1614.
 bus vindicare nitebatur. Exinde vero
 haud procul aberat, quin in altercatio-
 nem abiisset hæc disputatio, nisi Car-
 dinalis Surdisius ad Regem ablegatus
 obtinisset, ut propositiones Tertii Or-
 dinis in suppenso haberentur, donec
 opportuniori tempore discussæ, aut in
 legem abirent, aut penitus abrogaren-
 tur: Ceterum Rex interim Senatus
 edicto die sexta Januarii anni sequentis
 hujus causæ cognitionem sibi reserva-
 bat. Nihilominus, cum Parlamento
 hæc Regis sententia minime arrideret,
 præfatum suum decretum prælo dare,
 ac per urbem, Regnumque dispergere
 attentabat, approbante id imperita ple-
 be: Haud parum ejusmodi temeritas
 displicuit Regi, qui mox decretum suum
 novo diplomate Regio confirmans, ty-
 pographum promeritæ pœnæ subjici jus-
 sit, quamvis id ægre Parlamentum, &
 Ordo popularis ferret. Hic denique e-
 rat exitus acerrimæ hujus contentio-
 nis, intempestive nimis ab Ordine Ter-
 tio concitatæ, quæ tamdiu sopita jace-
 bat, donec Clerus in comitiis suis con-
 gregatus anno Christi millesimo sexcen-
 tesimo octogesimo secundo, annente e-
 tiam Bossutio, orationem Cardinalis Per-
 ronii ex suis commentariis deleverat.

U 3

§. XLVII.